



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SACRA AEDES** TEMPLUM PAROECIALE SANCTI IOANNIS,  
APOSTOLI ET EVANGELISTAE,

QUOD IN POLONIAE OPPIDO «OLEŚNICA» INTRA FINESE VRATISLAVIENSIS

ARCHIDIOECESIS EXSTAT, AD BASILICAE MINORIS GRADUM

DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. - Sacras aedes, quae vetustate, arte, historia ac religione  
nitent, consueverunt Romani Pontifices praecipuis honoribus decorare. Quibus accensendum esse videtur templum  
paroeciale sancti Ioannis, apostoli et evangelistae, in Poloniae oppido « Oleśnica » intra fines Vratislaviensis  
archidioecesis extans, in quo, centro quidem spiritualis vitae operumque pastoralium et caritatis, fideles loci ac  
propinquorum locorum impensa pietate colunt Deiparam Virginem a Rosario. Qua re, cum Venerabilis Frater Noster  
Henricus Romanus S.R.E. Cardinalis Gulbinowicz, Archiepiscopus Metropolita memoratae Sedis, litteris die IV mensis  
Aprilis hoc anno datis, etiam cleri populique sui nomine postulaverit ut eandem ecclesiam titulo ac dignitate Basilicae  
minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum istis dilectis filiis Poloniae, Patriae Nostrae, cupientes  
praebere, eius sollertis Pastoris precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis,  
quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa  
Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum templum paroeciale, quod diximus, ad Basilicae  
minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc  
nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris » die IX  
mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum servanda sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse  
volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III  
mensis Octobris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana*